

# Riordinamento delle Abbazie "nullius" di Montevergine e della SS. Trinità di Cava dei Tirreni

---

*Si pubblicano, per documentazione, i decreti trasmessi dalla Sacra Congregazione per i Vescovi, con lettera n. 75/78 del 20 ottobre 1979, con i quali il Santo Padre ha dato una nuova configurazione territoriale alle Abbazie « nullius » di Montevergine e della SS. Trinità di Cava dei Tirreni.*

## SACRA CONGREGATIO PRO EPISCOPIB

PROT. N. 883/78

### MONTIS VIRGINIS ET ALIARUM

#### DECRETUM

##### DE MUTATIONE FINIUM

Quo uberius christiani gregis fidelibus consuleretur visum est aetatis nostrae necessitatibus congruens ac normis per Apostolicas Litteras « Catholica Ecclesia » de abbatiarum nullius regimine perfectius promovendo, a Summo Pontifice Paulo VI, bo.me., die XXIII mensis octobris anno MCMLXXVI datis, consentaneum si abbatiae nullius Montis Virginis territorium aptius disponderetur.

Proinde Sacra Congregatio pro Episcopis, auditis locorum Ordinariis quorum interest et praehabito favorabili voto Conferentiae Episcopalis Campaniae, vigore specialium facultatum sibi a Summo Pontifice Ioanne Paulo Divina Providentia PP. II tributarum, atque suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti decreto perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, quae sequuntur statuit.

Ab abbatia nullius Montis Virginis separat:

— paroecias nomine *S. Martino*, *S. Gennaro* et *S. Michele Arcangelo* in municipio vulgo *S. Martino Sannita* exstantes et archidioecesi Beneventanae adnectit;

— paroeciam nuncupatam *S. Maria Assunta in Valle Ponticelli* atque partem paroeciae nomine *S. Maria Assunta in Cielo in Torrette di Mercogliano*, intra fines municipii cui nomen *Avellino* sitam, easque dioecesi Abellinensi unit.

Ab archidioecesi Beneventana distrahit integrum territorium municipii vulgo *S. Angelo a Scala* illudque abbatiae nullius Montis Virginis adiungit.

Deinde a dioecesi Abellinensi seiungit territorium municipii nomine *Summonte*, quod abbatiae nullius Montis Virginis assignat, excepto pago vulgo *Starze*.

Statuit quoque eadem Sacra Congregatio ut, una cum territorio municipiorum et paroeciarum, ecclesiae, oratoria, domus et cetera paroecialia, piaae fundationes et quaecumque alia ecclesiastica bona et iura quomodocumque ad paroecias illas vel ecclesias illorum municipiorum spectantia adnectantur.

Mandat insuper ut documenta et acta praefata territoria respicientia, a curia a qua ad curiam dioecesis cui territoria aggreganda sunt tradantur.

Ad clerum vero quod attinet, simul ac praesens decretum ad effectum deductum fuerit, sacerdotes dioecesi illi censeantur adscripti in cuius territorio beneficium aut officium legitime detinent, ceteri autem clerici seminarii que tirones dioecesi illi incardinati maneant vel incardinentur in cuius territorio legitimum habent domicilium. Uniuscuiusque tamen dioecesis Ordinariis fas est — ob congruas rationes — collatis consiliis cum sacerdotibus et clericis quorum interest, aliter de eorum incardinatione disponere.

Ad haec perficienda Sacra Congregatio pro Episcopis deputat Exc. mum P. D. Raphaëlem Calabria, Archiepiscopum Beneventanum, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandem sacram Congregationem, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae executionis remittendi.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis pro Episcopis, die 15 octobris anno 1979.

+ SEBASTIANUS CARD. BAGGIO, *Praefectus*

MARCELLUS COSTALUNGA, *subsecr.*

\* \* \*

## SACRA CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROT. N. 873/78

SS.MAE TRINITATIS CANVENSIS ET ALIARUM

### DECRETUM

DE MUTATIONE FINIUM

Quo aptius spirituali Christifidelium bono consuleretur visum est aetatis nostrae necessitatibus congruens ac normis per Apostolicas Litteras « Catholica Ecclesia » de abbatiarum nullius regimine tutius promovendo, a Summo Pontifice Paulo VI, bo.me., die XXIII mensis octobris anno MCMLXXVI datis, consentaneum si abbatiae nullius SS.mae Trinitatis Cavensis territorium rectius disponderetur.

Sacra Congregatio pro Episcopis, auditis ideo locorum Ordinariis quorum interest et praehabito favorabili voto Conferentiae Episcopalis Campaniae, vigore specialium facultatum sibi a Summo Pontifice Ioanne Paulo Divina Providentia PP. II tributarum, atque suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti decreto perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, quae sequuntur decernit.

Ab abbatia nullius SS.mae Trinitatis Cavensis distrahit integrum territorium:

— paroeciarum vulgo *Castellabate, S. Maria di Castellabate, S. Antonio al Lago, S. Marco, Ogliastro Marina, Agnone Cilento, Capograssi, Casalvelino, Marina di Casalvelino, S. Barbara, Matonti, Serramezzana, S. Mango Cilento, S. Lucia Cilento et Perdifumo*, quod dioecesi Vallensi in Lucania adnectit;

— paroeciarum nuncupatarum *S. Pietro di Polla, S. Benedetto di Polla et Pertosa*, quod dioecesi Dianensi adsignat;

— paroeciarum nomine *S. Giovanni Battista, La Madonna del Ponte et S. Potito*, quod dioecesi Nucerinae Paganorum unit.

A dioecesi Cavensi separat integrum territorium paroeciarum vulgo *Corpo di Cava, S. Cesareo et Dragonea* illudque abbatiae nullius SS.mae Trinitatis Cavensi adnectit.

Denique ab archidioecesi Salernitana seiungit paroecias nuncupatas *Casali et Materdomini* quas dioecesi Nucerinae Paganorum adiungit.

Satuit quoque eadem Sacra Congregatio ut, una cum territorio praefatarum paroeciarum ecclesiae, oratoria, domus et coemeteria paroecialia, piae foundationes et quaecumque alia ecclesiastica bona et iura quomodocumque ad paroecias illas spectantia adnectantur.

Documenta vero et acta, singulas de quibus agitur paroecias respicientia, a curia a qua ad curiam Ecclesiae cui paroeciae aggregandae sunt tradantur.

Ad clerum vero quod attinet, simul ac praesens decretum ad effectum deductum fuerit, sacerdotes dioecesi illi censeantur adscripti in cuius territorio beneficium aut officium legitime detinent; ceteri autem sacerdotes, clerici seminariiique tirones dioecesi illi incardinati maneat vel incardinentur in cuius territorio legitimum habent domicilium. Uniuscuiusque tamen dioecesis Ordinariis fas est — ob congruas rationes — collatis consiliis cum sacerdotibus et clericis quorum interest, aliter de eorum incardinatione disponere.

Ad haec omnia perficienda Sacra Congregatio pro Episcopis deputat Exc.mum P. D. Caietanum Pollio, Archiepiscopum Salernitanum et Episcopum Campaniensem, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandem Sacram Congregationem, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae executionis remittendi.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis pro Episcopis, die 15 mensis octobris anno 1979.

+ SEBASTIANUS CARD. BAGGIO, *Praefectus*

MARCELLUS COSTALUNGA, *subsecr.*